



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitularia Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

Ejusdem Ludovici epistola ad Eugenium II. missa per Hieremiam & Ionam  
Episcopos, cum actis synodi Parisiensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-19366**

tem ipsi venire non possunt, ad locum unum. Et si necesse fuerit, propter oportunitatem conveniendi, in duobus vel tribus locis, vel maximè propter pauperes populi, idem conventus habeatur, qui omnibus congruat. Et habeat unusquisque Comes Vicarios & Centenarios suos, necnon & de primis Scabineis suis tres aut quatuor. Et in eo conventu primùm Christianæ religionis & ecclesiastici ordinis collatio fiat. Deinde inquirant Missi nostri ab universis qualiter unusquisque illorum qui ad hoc à nobis constituti sunt officium sibi commissum secundum Dei volunta-

tem ac iussionem nostram administret in populo, & quàm concordēs atque unanimes ad hoc sint, vel qualiter vicissim sibi auxilium ferant ad ministeria sua peragenda. Et tam diligenter ac studiosè hanc investigationem faciant ut omnem rei veritatem per eos cognoscere valeamus. Et si aliqua talis causa ad eorum notitiam perlata fuerit quæ illorum auxilio indigeat, secundum qualitates causarum quæ in nostro Capitulari continentur, tunc volumus ut illuc pergant, & ex nostra auctoritate illud corrigere studeant.

### COMMONITORIVM

Datum Hieremiæ Archiepiscopo Senonensi & Ionæ Episcopo Aurelianensi à Ludovico Pio Imperatore anno DCCCXXIV. cùm ab ipso legati Romam irent ad Eugenium II. Papam Romanum, in causa imaginum.

**H**ieremiæ & Ionæ venerabilibus Episcopis in Domino salutem. Venerunt ad præsentiam nostram Halitgarius & Amalarius Episcopi VIII. Idus Decembris, deferentes collectiones de libris sanctorum patrum, quas in conventu apud Parisios habito simul positi collegistis, quas etiam coram nobis perlegi fecimus. Et quia placuerunt, & ad id propter quod collectæ sunt necessariæ atque utiles à nobis judicantur, sub omni celeritate censuimus dirigendas. Idcirco admonendo præcipimus solertia vestra ut priusquam de his aliquid Domino Apostolico indicetis, diligenti cura eadem vos recensere curetis, & ea quæ melius & aptius præsentis negotio convenire inveneritis, excerpere atque describere illique ad legendum offerre studeatis. Quia enim, ut nolitis, nos ab eo petere volumus licentiam quatenus has collectiones à sacerdotibus nostris fieri permitteret, ideo non poterit prætermitti quin ostendatur quod ex ipsius permissione collectum est. Illud tamen summopere prævidete, ut ea illi de his ostendatis quæ rationi de imaginibus habendæ per omnia conveniant, & quod ipse vel sui rejicere minime valeant. Sed & vos ipsi tam patienter ac modeste cum eo de hac causa disputationem habeatis ut summopere caveatis ne nimis ei resistendo

eum in aliquam inrevocabilem pertinaciam incidere compellatis, sed paulatim, verbis ejus quasi obsequendo magis quàm apertè resistendo, ad mensuram quæ in habendis imaginibus retinenda est eum deducere valeatis, & ideo potius efficere contendatis ut negotium de quo agitur ad meliorem quàm ad pejorem statum cum Dei adjutorio perducat. Postquam verò hanc rationem de earundem imaginum causa consummaveritis, si tamen hoc ad nihilum Romana pertinacia permisit, ut ratio inter vos habita aliquo bono & convenienti sine claudatur, & ille vobis indicaverit quòd legatos suos ob eandem causam in Græciam mittere velit, volumus ut eum interrogetis si ei placeat ut nostri legati pariter cum suis in Græciam pergant. Et si hoc ei melius visum fuerit, sècque omnino velle respondent, tunc volumus ut sub omni festinatione litteris vestris à vobis ad nos directis nos inde certos faciatis, simulque & de vestro adventu ad nos, ut eo tempore quo vos ad nostram veneritis præsentiam, Halitgarium & Amalarium nobiscum inveniant. Vos autem cum Domino Apostolico considerate ubi ille vel quando velit ut sui ac nostri legati ad naves conscendendas se jungere debeant, & hoc nobis per nosmetipsos, cum Deo volente veneritis, adnuntiare potestis.